

Hermann Schuckmann Henricus Lengerken von

## **De Visione Invisibilium : Disputatio Theologica**

Rostochii: Kilius, 1652

**<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn739999303>**

Druck Freier  Zugang



R. U. Nicol. 1652.

Schückmann, Hermann  
Karl-Lengwieser, Rinnich v.







DE  
VISIONE INVI-  
SIBILIIUM.  
DISPUTATIO THEOLOGICA,

*Quam*  
Benedicente DOMINO,  
Cum Consensu & approbatione Ve-  
nerandæ Facultatis Theologicæ in Universi-  
tate Rostochiensis:


PRÆSIDE  
VIRO

*Admodum Reverendo, Clarissimo &  
Excellentissimo*

DN. HERMANNO SCHUCKMAN,  
S. Theol. D. Professore, & Consistorii  
Ducal, Ecclesiastici Assessore, Præceptore  
& Patrono suo æviternum  
venerando.

*Publicè, in Auditorio Majori, die XI. Septembris  
examinandam proponit,*

HENRICUS von Lengerken /  
Osnabrug. Westphalus.




ROSTOCHII,  
Typis NICOLAI KILL, Acad Typogr.  
ANNO M. DC. LII.









In nomine Jesu

## DE VISIONE INVISIBILIIUM.

THE S. I.



**M**nis visio fit per oculos. Oculi verò alii Corporis sunt, alii Mentis, *Eph. I. v. 18.* Illis tum nomen oculorum, tum facultas videndi strictè. His habito ad illos respectu, secundum analogiam, tribuitur.

II. Corpus (quà affectiones vel qualitates, non quà substantiam) dispescitur in animale & spirituale, *1. Corinth. XV. 44.* Illud tale est per naturam ex creatione & generatione: Hoc ex glorificatione per potentiam supernaturalem divinam. Hinc & oculi corporis vel animales sunt vel spirituales. Illi naturæ viribus commensurati. Hi supra easdem elevati.

III. Mentis quoq; vires aliæ homini concreatæ & congenitæ, aliæ à Deo ex peculiari gratiâ collatæ. Ab illis mens naturaliter intelligens: ab his oculi mentis illuminati appellantur. Illuminatio porrò divina, alia fit per media in hoc seculo, alia sine mediis in futuro. *II. Corinth. IV. vers. 4. 6. Apoc. XXI. 23.*

IV. INVISIBILIA dicuntur, quæ videri non possunt oculis corporis animalis; suntq; Spiritus & omnia spiritualia. Principium invisibilitatis est distantia, vel negatio proportionis inter naturam spirituales & organum corporeum, animale.

V. VISIO Invisibilium, quâ universa absolvitur Theologia, alia mediata est, alia immediata. Illa fit per species sive imagines. Hæc per intuitum. Illa præsentis; Hæc futuræ vitæ est.

VI. *Media*, à quibus denominatur visio mediata, vel extraordinaria sunt, vel ordinaria. Extraordinaria fuerunt manifestationes in formâ gloriosâ vel symbolo quodam supernaturali. Ordinaria tum exhibentia sunt, tum apprehendentia. Exhibentia Natura & Verbum Dei. Apprehen-



prehendunt Recta Ratio, quæ Naturam; & Fides, quæ Verbum respicit.

VII. Substantiarum invisibilium, de quarum visione distinctè agendum, Prima, independens & summa Deus est; Secunda Angelus; Tertia Homini Anima & Corpus glorificatum.

### DE VISIONE DEI.

VIII. DEUS, uti est Spiritus infinitus, sic quoque invisibilis, modo eminentissimo, *I. Timoth. I. 17. C. VI 16.*

IX. VISIO Dei alia in ipso Deo est, alia in creaturis. Illa essentialis & naturæ divinæ adæquata (quæ & humanæ Christi naturæ, vi unionis hypostaticæ cum λόγῳ, communicata est, *Matth. XI, 27.*) Hæc inadæquata & accidentalis. Deus videt seipsum comprehendendo per semetipsum. Creaturæ vident Deum apprehendendo, per conceptus finitos.

X. *Queritur hic, num conceptus Creaturarum de Deo veri sint an falsi?*  
Resp. Veri sunt omnes illi, qui Deum authorem habent; non obstante, quod essentiam Dei nec exæquare, nec, sicuti est, exprimere valent. Neque enim falsum est, quicquid suo modo infinitam essentiam apprehendit, sed quod cum mente Dei & objecto cognoscibili nullo modo congruit. *Dices:* Finitum non esse capax infiniti. *Resp.* Capax non est finitus & merè naturalis intellectus infiniti Numinis ad comprehendendum illud, est tamen capax ad apprehendendum.

XI. VISIO Dei in creaturis (quam apprehensivam vocamus) alia fit per speculum (hanc supra diximus mediatam) alia à facie ad faciem, coram & immediatè. *I. Corinth. XIII. 12.*

XII. VISIO per speculum aut extrà ordinaria est, aut ordinaria. Extrà ordinaria olim facta vel per formam gloriosam, vel per symbolum supernaturale. *Priori modo vidit Moses speciem similitudinemque Domini, Num. XII. 7, 8. conf. Exod. XXXIII. 11.* Sic in N. T. viderunt Christum in gloria Dei Petrus Jacobus Johannes *Matth. XVII. II. Per. I. 16. 17.* Stephanus Protomartyr. *Act. VII. 55.* Paulus. *I. Corinth. IX, 1. II. Corinth. XII. 1.* *Nota.* Visio talis fuit imago quædam & præ gustus futuræ visionis beatificæ. *Posteriori modo, per visiones symbolicas, sive in somnio, sive in Ecstasi alias cælitus oblatas (quod Scriptura sacra vocat manum Domini. II. Reg. III. 15. Jesa VIII, 12.) innouit Deus Prophetis, Num. XII. 6. qui ob id dicti videntes. I. Sam. IX. 9. Conf. Ezech. I. 1. &c.* Huc refer visiones maximè Apocalypticas Johannis.

XIII. *Nota*



XIII. *Nota.* Conveniunt Moses & alij Prophetæ in hoc, quod nemo eorum in hac vita immediatè seu beatificè Deum vidit, juxta illud *Exod. XXXIII. 20. 23. Non poteris videre faciem meam, quia non videbit me homo & rivet. &c. Posteriora mea videbis, At facies mea non videbitur.* Differunt in eo, quod Moses vidit formam vel speciem quandam Dei sine problemate. Reliqui viderunt Deum per ænigmata. Talis enim oppositio habetur *Num. XII. vers. 6. & 8. DICBS.* Ità visionem Mosis esse immediatam & intuitivam, non specularem & mediatam. Resp. Videre speciem & similitudinem Dei, non est videre ipsam Dei essentiam, sicuti est. *Obijcitur* 1. Visionem Mosis opponi visioni per ænigmata. 2. Faciam esse à facie ad faciem. *d.l. conf. Exod. XXXIII. 11.* Jam quæ visioni ænigmaticæ opponitur, item quæ describitur phrasi hæc, *videre à facie ad faciem*, intuitiva & immediata visio est, non visio per speculum, juxta Apostolum *I. Corinth. XIII. 12.* Resp. in genere, sermonem esse Apostolo de visione non extraordinariâ, qualis Mosis fuit, sed ordinariâ. Deinde in specie, ad 1. Visio in ænigmate vel opponitur visioni simpliciter immediatæ, intuitivæ, clarissimæ, omnia involucra, qualia sunt symbola & fides, penitus excludenti, ut apud Paulum, vel visioni, quæ facta per certam formam, clariori in suo genere symbolis & fide, ut apud Mosen. Et sic Mosis visio fuit media aliqua inter symbolicam & intuitivam seu beatificam visionem. Ad 2. Resp. Videre Deum facie ad faciem, vel notat coram videre essentiam Dei, secundum Paulum. *1. c. Conf. Exod. XXXIII. 20.* vel videre Deum in assumptâ quadam formâ se repræsentantem, secundum Mosen, *Num. XII. 8. Conf. Exod. XXXIII. 11. 23.*

XIV. ORDINARIA visio per speculum, seu notitia Dei in hac vitâ, duplex est, una ex Naturâ per Rationem, Altera ex verbo Dei per Fidem. Illa dicitur Naturalis vel Naturæ. Hæc Revelata & Gratia. *Nota.* Vox *Revelata* strictè hic accipitur de revelatione divinâ, quæ fit per Spiritum S. in verbo, *I. Cor. II. 7. 10. Eph. III. 4. 5. Matth. XI. 25.* Cæteroquin & illud, quod naturaliter de Deo cognitum est, manifestationi divinæ, quæ per naturam fit, merito acceptum ferendum, *Rom. I. 19.* Ità per vocem *Gratie* significatur peculiaris Dei benignitas, posita in virtute verbi & Spiritus Sancti ad salutem efficaci: Alioquin naturales quoq; notitias, seu reliquias imaginis Dei, & conservationem luminis naturæ, quæ via aliqua est ad lumen gratiæ, post lapsum, bonitati & misericordiæ



Dei, genus humanum per mediatorem ab æterno constitutum reparare volentis, deberi, ejusq; testimonia & signa esse, quis negabit? vide *Genes. cap. VIII. & IX.*

XV. *Naturalem* notitiam describit Paulus, *Rom. I. 19, 20.* Scopus Apostoli est demonstrare, omnem hominem carere justitiâ coram Deo, adeoq; indigere justitiâ fidei in Evangelio patefactâ: quia omnes tam Gentiles quam Judæi rei aguntur iræ divinæ, ex eo, quod abusi sunt bonitate Dei; Illi, quoad lumen naturæ; Hi præterea quoad lumen verbi revelati. Initium demonstrandi capit à Gentibus, quæ pro Deo vero, quem ex naturâ cognoverunt, vanitatem coluerunt. Ponit itaq; in hunc ipsam notitiam naturalem (cum judicio conscientie practico, de quo inprimis agit, *c. II. 14, 15.*) tum abusum ejus, ceu causam reatus. Illa præcedit. Hic sequitur.

XVI. In descriptione Visionis seu notitiæ naturalis, consideranda quatuor, Objectum, Principium vel medium, Modus & Finis.

XVII. *Objectum* est sempiterna Dei tum potentia tum divinitas. *A potentia* denominatur Deus potens ad faciendum quicquid fieri vult. *Sempiterna* est, quia semper durat, nec unquam deficit. *Potentia* sempiterna arguit divinitatem sempiternam. *Divinitas* est Essentia summa, increata, incomparabilis, veneranda supra omnia. Hæc (potentia & divinitas sempiterna) dicuntur & invisibilia Dei & cognoscibilia; seu id quod cognosci de Deo potest. Invisibilia sunt oculis corporeis animalibus, in oppositione ad effectus essentiae & potentiae divinæ, in mundo ad spectabili, visibiles. Cognoscibilia verò oculis mentis. *Nota.* Potentiam & divinitatem Dei objectum esse non solum rationis, sed & fidei, pro diverso respectu, quatenus nimirum suo modo non tantum ex naturâ sed & ex revelatione cognoscuntur.

XVIII. *Medium* (quod & Principium) cognitionis naturalis vel æternum est vel internum, quorum alterum alteri in relatione exhibitionis & apprehensionis respondet. *Externum*, quod exhibet cognoscenda Dei invisibilia, est universa natura & creatura mundo comprehensa. Hæc dicuntur *κτίσματα*, facta Dei; quia Deum authorem habent per creationem seu productionem mundi, à qua res omnis, quæ mundo continetur, *κτίσις*, creatura denominatur, *Rom. I. 25. C. VIII. 19, 20, 21, 22.* *Nota.* Conditum esse mundum, & ratione & fide intelligitur. Ratione, quatenus



quatenus illud ex natura patet, ut hoc loco. Fide, quatenus forma & modus creationis in verbo revelato describitur, *Ebr. XI. 3.* & à posteriori, ut imago novæ creationis vel regenerationis proponitur *v. g. II. Cor. IV. 6.* Sunt autem visibiles creaturæ medium visionis invisibilium naturale, quatenus aspectus excellentis opificij, cui paria facere nulla ars in mundo potest, animo statim ingerit notionem simul & venerationem Opificis, potentiâ & consequenter essentiâ eminentissimi, qui Deus est. *Internum* medium, quo invisibilia Dei ex creatione mundi conspecta apprehenduntur, est intellectus humanus, vel ratio naturalis, cui sensus exteriores & interiores inserviunt. Horum adminiculo mens hominis invisibilia ex visibilibus colligit & concipit. Dicuntur enim illa *πίσις ἀνίμασι νοόμενα καὶ θεοῦ ἁγίου*, in operibus animadversa vel intellecta perspicere &c.

**XIX.** *Modus* visionis naturalis ita habet. Vident oculi, percipiunt sensus reliqui, rerum, quæ in mundo sunt, naturalium præstantiam. Advertit in iis mens humana mirabilem structuram, ordinem, consensum &c. Observat conservationem & gubernationem providam ac beneficam, *vid. Act. XIV. 15. 17 c. XVII. 24. seqq.* Ista vero nec fortuito nec à semetipsis existere intelligit. Principium igitur horum omnium, Ens quoddam summum, & in hoc sempiternam potentiam ac divinitatem, ex his ipsis operibus, quorum creatio, & ex creatione stabilis natura causam perpetuo potentem, eamq; divinam requirunt, apprehendit. Ità invisibilis Deus varia vestigia sempiternæ potentiae ac divinitatis suæ, undiquaq; in mundo (ut non dicam de interno conscientiae testimonio, quoad *δικαιοσύνη* seu jus Dei, naturâ simul cognitum) per creationem expressit: quibus vestigiis hæc ipsa ejus invisibilia, quasi conspicua & palpabilia facta (juxta Apostolum) ex creatione mundi, & per consequens inde à mundo condito, mente intellecta perspiciuntur.

**XX.** *Finis* Secundarius & ob prævisum naturalis notitiæ abusum consequenter à Deo intentus, est inexcusabiles reddere coram judicio divino eos, qui Deum naturaliter cognitum, non ut Deum, vel summum bonum reverentur, quærunt & experunt, sed creaturas creatori, vanitatem veritati præferunt. Primarius ergo & antecedenter à Deo intentus Finis est, Deum naturâ cognitum reverenter habere, quærere, desiderare ut summum bonum, *vid. Act. XVII. 26. 27.* vel veritatem Dei, hoc est, id quod cognosci de Deo potest, non tenere captivum in iniquitate. *Nota.* Negatio excusationis seu Apologiae præsupponit tum  
ip sam



ipsam notitiam naturalem, tum finem ejus primarium: neq; enim inexcusabilis foret apud Deum, qui neglexerit, quod minimè cognovisset, vel cui Deus semetipsum, ut summum bonum quærendum & amplectendum, proponere noluisse: Hoc enim pro defensione sui afferre tunc posset: Quod tamen, posito lumine naturæ, posita circa illud demonstratâq; voluntate Dei benignâ, neutiquam potest.

**XXI. DICES.** Frustra esse voluntatem hanc & intentionem Dei antecedentem, eo quod 1. desiderium & studium quærendi Deum non sit in viribus naturæ post lapsum. 2. Notitia naturalis & rectus ejus usus nec salutaris sit, nec salutis principiu. 3. In statu corruptionis non possit non abuti homo lumine naturæ; quod multitudo gentium reprobarum ostenderit. *Resp.* Nequaquam frustra est voluntas illa Dei, quæ ordinatur ad creaturam libertate arbitrii præditam, ut ut sciat se non obtenturum, quod intendit: Neq; enim remittere potest salvâ justitiâ, ab exigendo officio, quod intellectuales creaturæ Creatori naturâ debent, nec desinunt debere, postquam suo ipsarum vitio minus idoneæ ad id præstandum factæ sunt. Ad 1. Rationem, dicimus in specie: Etiam id vult recte Deus, nec frustra vult, quod viribus naturæ integræ præstari poterat, tamen si residuas in statu corruptionis, quam homo suâ culpâ contraxit, vires exsuperat. Sed & præterea distinguendum hic inter desiderium & studium quærendi Deum naturale & spirituale. Naturale nec definitum nec salutare est, ferturq; solum in veritatem Dei, seu id, quod per creationem mundi, de Deo cognitum est (veluti sempiterna ejus potentia & divinitas) reverenter habendum, non mendacio, non iniquitate suppressendum, sed magis magisq; ex vestigiis naturalibus indagandum, & hoc modo in Deum ut Deum glorificandum, *Rom. I. 21.* Spirituale vero desiderium & definitum est & salutariferum, habens pro objecto Deum ut patrem, merito Christi mediatoris peccatoribus reconciliatum, datorem vitæ æternæ, eumq; ex verbo revelato per illuminationem Spiritus Sancti cognitum, & filiali fiduciâ apprehensum. Illud positum est in viribus naturæ post lapsum (ut ut sit viciatum, imperfectum, debile, languidum) Hoc positum minimè est. Ad 2. Et si notitia naturalis, & rectus ejus usus, qui in desiderio & studio Deum naturaliter quærendi consistit, nec salutaris est, nec salutis principium: quia nemo venit ad patrem, nisi per filium. *Joh. XIV. 6.* Filium vero & Patrem (quos novisse vita æterna est, *C. XVII. 3.*) naturaliter nemo novit, *Matth.*



*Matth. XI. 27.* Et sic fidem ut ordinatum divinitus medium à parte hominum, nemo ex naturâ concipere potest. *Rom. X. 14. 17.* Est tamen via quædam, quâ ad lumen verbi revelati, ceu adæquatum salutis medium à parte Dei, aditus patet, quem abusus notiæ naturalis præcludit & intervertit. *Nota.* Via dicitur lumen naturæ recte usurpatum, non quod monstret lumen gratiæ in Ecclesiâ accensum, & ad illud ducat ut medium, vel causa propriè dicta. (Hoc enim solius Dei peculiare opus est) sed quod obstaculum poni prohibeat, quo posito, ipsum propositum Dei, ab omnibus hominibus legitimum luminis naturæ usum, teste conscientia cuiuslibet propriâ, exigentis, & sic porro unumquemq; ad lumen revelationis, ipsamq; adeo agnitionem veritatis, quasi manu ducere volentis, finem, quem intendit, non assequitur.

*Ad 3.* Aliud est, cum quæritur, quid potuerit & debuerit homo præstare naturaliter? Aliud, quid fecerit multitudo gentium? Debit utiq; & potuit ex viribus naturæ; siquidem observare voluisset invisibilia Dei ex creatione mundi conspicua, non tenere veritatem hanc captivam in iniquitate, in quâ tamen detinuit eam gentium multitudo, corruptæ carnis genio indulgens, ejusq; ductui potius, quam lumini naturæ & dictamini conscientiæ attendens, atq; ita invisibilis Dei vestigia despiciens. *Quid vero ad hæc Deus?* Sicut præteritis ætatibus omnes gentes incedere viis suis (id est, viis erroris, corruptæ carni propriis) quanquam ipse interea, dum per naturam mundo subinde benefecit, hæc ratione se testimonij expertem esse non sivit, *Act. XIV. 16, 17.* Ergone sine remedio relicta & penitus à Deo abjecta omnes gentes naturali notiâ abutentes? Ita quidem poterat justus Deus: Non enim tenebatur iis, qui contemptu veritatis naturalis, in mendacio nequiter detentæ, aditum sibi ipsis ad Ecclesiâ præcluserunt, gratiam præstare majorem, eamq; salutiferam. Veruntamen secundum longanimitatem & multam suam misericordiam, quâ dives est, intuitu Christi mediatoris, quem & judicem totius orbis constituit, dissimulatis temporibus ignorantia prædicari fecit ubiq; verbum pœnitentiæ ad salutem. *Act. XVII. 30, 31.* *Nota.* Cum Gentes dicuntur ignorasse Deum, & dissimulata à Deo tempora ignorantia, *d. l. conf. v. 23. & c.* intelligendum id maximè est, non respectu notiæ naturalis: hæc enim cognitum habuerunt Deum: *Rom. I. 21.* sed Spiritualis, ad cujus revelationem quò minus plurimi gentilium pervenerint, fecit, præter ingratitude, Majorum, B oblatam



oblatam in verbo per Patriarchas prædicato salutem rejicientium, contemptus luminis naturæ, in singulis hominibus post lapsum (quod benignitatis divinæ est) residui; & fecisset perpetuo, nisi viscera indebitæ & exuberantis misericordiæ Dei, præter lumen gratiæ, in Ecclesiâ V. T. Israeliticâ, illustri loco positum, item præter extraordinarias vocaciones, quarum Exemplum præbent Rahab, Gibeonitæ, Regina Austri, Niveitæ &c. tandem sub N. T. in universalem prædicationem Evangelij, quod potentia Dei est ad salutem omni credenti, prorupissent.

XXII. Succedit igitur visioni naturali *Theologia* REVELATA, quæ & Spiritualis & Supernaturalis vocatur. *Spiritualis* partim respectu mediij, quod nec sensibus nec rationi subjacet, videlicet fidei: partim modi, quatenus sententiam hominis animalis non sapit, adeoq; dijudicanda venit spiritualiter: partim ratione principij, (quod præcipium est) quia Spiritui Sancto & peculiari ejus operationi in solidum debetur: Et hinc ex homine animali spirituales facit. *Supernaturalis* quoq; dicitur, quia naturam, & rationem naturalem, omnesq; naturæ vires transcendit; Unde superaddita naturali notiæ post lapsum in animis hominum reliquæ, quod huic impossibile fuit, secundum beneplacitum Dei, ipsa præstat.

XXIII. *Autor* visionis hujus, qui & revelat mysteria naturæ incognita, & fidem ad apprehendendum ea præbet ac donat, est solus verus Deus, *Eph. I, 9. Act. XVII, 31. Phil. I, 29.* Isq; Pater, *Matth. XI, 25. C. XVI, 17.* Filius, *Matth. XI, 27. Joh. I, 18.* & Spiritus Sanctus. *Joh. XIV, 26. I. Cor. II, 10. & seqq.*

XXIV. *Principium & Medium* à parte Dei (quo exhibentur videnda spiritualiter, invisibilia) VERBUM est, idq; tum ἰμπεριτικόν, tum ωσεφωρικόν. ἰμπεριτικόν, aliàs dictum *essentiale*, est ipse FILIUS Dei, persona SS. Trinitatis ordine secunda, Patri & Spiritui Sancto ὁμοούσιος. Hic dicitur λόγος, κατ' ἀντωνομασίαν, quia est perfectissimus interpres invisibilium Dei, referens illius tum *essentiam*, tum *voluntatem* hominibus noscendam, eò quod ipse solus, in oppositione ad creaturas, per *essentiam* novit, quæ Dei sunt. *Matth. XI, 27.* Cum sit *Character* hypostaseos ejus, resideatq; substantialiter in sinu patris *Joh. I, 18. Ebr. I, 2, 3.* Sicut verbum hominis est imago mentis humanæ, & sicut conceptus sunt in animo hominis, sed accidentaliter.

XXV. Fa-



XXV. Factus autem est λόγος medium vel Principium videndi Deum, per Incarnationem. *Joh. I, 14. & 18.* quam Apostolus, *I. ad Tim. III, 16.* describit per manifestationem Dei in carne, puta, non communem, sed singularem vel personalem, quæ nomine mysterij verè magni merito insignitur; ubi filius Dei cum omni plenitudine divinitatis, in assumptâ carne humanâ corporaliter, tanquam in proprio suo templo habitans *Col. II, 9.* gloriam suam, ut unigeniti à patre, hoc est, gloriam essentialiter divinam, verbo & operibus infinitam virtutem arguentibus, tanquam radius divinæ majestatis per carnem emissis, videndam præbuit, *Joh. I, 14. C. II, 11.* Hinc consuetaria quatuor. 1. Per & propter unionem personalem divinitatis & carnis in Christo, atq; ex hac pendentem communicationem naturæ & idiomatum divinorum, conspecto manibusq; palpatò filio hominis, conspectum est & contrectatum verbum vitæ. *I. Joh. I, v. 1.* 2. Ex eodem principio, visâ oculis corporeis carne Christi, visus est à fidelibus, mente illuminatâ, ipse filius Dei viventis. 3. Præterea, visò ita Filio Dei, visus quoq; est Pater, (non exclusò Spiritu Sancto) *Joh. XIV, 9.* Quanquam enim incarnatio nec in Patris, nec Spiritus S. sed solius Filii personâ terminatur: Essentiâ tamen Filius est in Patre, & Pater in Filio, *Joh. XIV, 10.* Imò Pater & Spiritus S. unum sunt cum eo, qui caro factus est, λόγος æterno. *Joh. X, 30.* 4. Hæc ratio igitur ipse invisibilis Deus conspicuum se reddidit in Christo Θεανθρώπου.

XXVI. VERBUM *λογος* est sententiâ mentis divinæ per filium Dei, λόγος essentialem, humano generi patefacta, habens se ad illam, ut imago ad exemplar, signum ad signatum, interpretatio ad conceptum tum intellectus, tum voluntatis. His patefaciendis inserviunt Vox & Literæ. Ab illâ, sive auribus Prophetarum & Apostolorum immisâ, sive mentibus eorum absq; exteriori sono symbolicè repræsentatâ, (*vid. thes. XII.*) Dicitur Domini, Verbum oris Domini &c. idq; ratione principij. Ab his, ob materiâ formamq; externam, *Scriptura*, & propter pluralitatem librorum vel libellorum, *Gal. III, 10. Ebr. X, 7. Act. I, 20. C. VII, 42. Joh. XX, 30. C. XXI, 25. Apoc. XXII, 19. &c.* suis sectionibus distinctorum (quos uno quodam complexu Biblia dicimus) *Scripturæ* appellantur; eæq; cognominantur *sacræ* vel *sanctæ*, ob autoritatem & potentiam interiorem divinam, tum simpliciter, in oppositione ad li-



teras quascunq; prophanas, tum κερ' ἕξοχην, in comparatione cum  
aliis scriptis religiosis, quæ sanctitatem, quam habent, Scripturis à Deo  
inspiratis debent, propter quas & ipsa, quatenus sequuntur ductum Spi-  
ritus Dei, referendo, interpretando & applicando verbum Propheti-  
cum & Apostolicum, sacra consequenter nuncupantur. *Nota.* Diffe-  
runt equidem, à priori spectata, Verbum Dei & Scriptura sacra, 1. Ut Prius  
& Posterius. Quoniam ab initio creaturæ verbum Dei fuit, scriptum  
non fuit. Undè ad quæstionem, *utrum antiquius illud sit, an Ecclesia?*  
Responsio facilis est. Antecessit Verbum Ecclesiam, velut semen re-  
generationis, ex quo illa statim à lapsu generis humani constituta est,  
*Gen. III, 15.* Quod propagatum deinde per Patriarchas usq; ad Mosen:  
Sed ab hoc primum, educta ex Ægypto & formata solenniter Ecclesiã  
Israeliticã, scriptis publicè proditum. 2. Ut Latius & Strictius. Neq;  
enim scripta sunt omnia, eum dicta tum facta divina, quæ scribi potue-  
runt, *Luc. XXIV, 27. Job. XX, 30.* Ratio est, quod brevitate succinctã  
consulere voluit providus Deus infirmitati hominum, nec multitudine  
nimia librorum memoriam onerare. *Job. XXI, vers. ult.* 3. Ut Essentiale  
& Accidentale. Uti enim prædicatio non efficit verbum Dei, ita nec  
scriptio. Sed utriusq; officium est, ea, quæ egrediuntur ore Dei, ad  
mortales transmittere, (quod quidem scriptio constantius præstat, quam  
prædicatio.) Hinc quemadmodum revera fuit verbum Dei, antequam  
scriberetur; Sic perituris in conflagratione mundi libris & literis omni-  
bus, manebit idem in æternum, *1. Pet. I, 25. Jesa XL, 8. Luc. XXI, 33.*  
Cæterum à posteriori & ex hypothesi (posito nempe vel constituto in-  
literis Prophetis & Apostolicis certo canone divino.) Verbum Dei  
& Scriptura S. re conveniunt, & promiscuè in Bibliis, præsertim N. T.  
adhibentur, adeo ut nec notio Scripturæ à notione Verbi, nec vicissim  
notio Verbi à notione Scripturæ sit separanda aut secludenda. Itã  
*II. Petr. I, 19, 20, 21.* Prophetia scripturæ, & Prophetia, quam loquuti  
sunt sancti Dei viri, item sermo propheticus synonyma sunt: sic in spe-  
cie, quod Moses dixisse perhibetur de Messia, Propheta magno *Act. VII,*  
*37.* vel retulisse ut verbum oris Domini, *Deut. XVIII, 17, 18.* id scripsisse  
eum Christus ait, *Job. V, 46, 47. conf. Deut. XXXI, 9.* Item Scripturam  
illam, seu id, quod scriptum extat in Psalmis *LXIX & CLIX.* de Judã prodi-  
tore Christi, id prædixisse Spiritum S. per os Davidis, testatur Petrus  
*Act. I, 19, 20. &c.* Quibus docetur, quod Verbum Domini & Scriptura S.

pro,



pro æquipollentibus sint habenda; & id, quod mandato vel impulſu Domini in Scripturas relatam eſt, non minus hodie à Deo dici credendum ſit, quam ubi dictum fuit originaliter. Atq; ita nomine Scripturæ veniunt tam materiale quam formale, tam dictiones & literæ ut ſigna, quam, quæ per hæc ſignantur & exhibentur, ſente ntia divinx, tanquam Dei ſapientia & veritas æterna.

**XXVII.** *ſcopus & ſumma* Scripturæ S. eſt Filium Dei λόγον ſubſtantialem, eumq; ut Chriſtum, mediatorem Dei & hominum, reſpectu V. T. incarnandum, reſpectu Novi incarnatum, & per hunc adeo ipſum inviſibilem Deum, ut patrem benevolum, regenitos per fidem incorruptibili hæreditate ſecundum promiſſiones ſuas beaturum, unà cum mediis modisq; adipiſcendi gratiam Dei in Chriſto, eamq; non amittendi, ſed uſq; ad finem vitæ temporalis, & hunc conſecuturam uſiõnem beatificam retinendi, ſpiritualiter videndum vel cognoscendum præbere, idq; per varias ſpecies ſeu imagines, Hiſtoricas, Typicas, Propheticas, Parabolicas, Didascalicas, Legales, Evangelicas, &c. *Nota.* Lex Moſis in oppoſitione Evangelii ſpectata, non aliã ratione ſit medium viſionis inviſibilem, niſi per modum pædagogi, oſtentione peccatorum ad Chriſtum, & Deum in Chriſto propitium homines ducentis. Evangelium vero bona ſpiritualia directe proponit & offert.

**XXVIII.** Conſideratur præterea Verbum Dei pro diverſo reſpectu, tum externe, quatenus lectione auditivè exteriori, & ſic ſenſibus percipitur; tum interne, quatenus idem illud à Spiritu S. mentibus hominum ad ſpiritualẽ illuminationem & vivificationem earum inſcribitur, *Jer. XXXI, 33.* Utroq; reſpectu Medium eſt vel Principium Viſionis ſpiritualis ſeu Theologiæ revelatæ; ita quidem, ut externum verbi miniſterium, quod prædicando audiendoq; peragitur, ducat organicè ad internam Spiritus S. operationem, quã ipſe cor aperit, apertum de veritate Dei convincit, convictoq; divinum verbi ſenſum imprimat, & ex eo vivam imaginem Chriſti, ipſuſq; adeo Dei & myſteriorum ad ſalutem cognitu neceſſariorum, intus depingit, atq; ita fidem ſalvificam, mediante verbo, ſive per auditum (& quæ huic æquiparatur, lectionem) in Adultis, *Rom. X, 14, 15, 17.* ſive abſq; lectione auditivè, in Infantibus, idq; tum extraordinariè in certis caſibus, tum ordinariè in ipſa collatione Sacramenti initiationis non elemento ſolum ſed & verbo conſtantis, ineffabili modo intrinſecus repræſentato, gignit. Et hæc ratione verbum



Domini sit lucerna in loco caliginoso ( corde tenebris ignorantiae obscurato) lucens, II. Pet. I. 19. quâ Deus ex arcanâ suâ, eâq; incomprehensibili & inaccessibili luce prodiens, quoad cognosci se voluit, & quatenus ipsa cognitio essentiae ac voluntatis divinae ad salutem consequendam sufficit, hominibus innotescit.

XXIX. Verbo Dei annexa sunt & innexa SACRAMENTA, tanquam sigilla gratiae in verbo promissae. Quae ipsa quoq; media divina sunt, Bonum invisibile offerentia: Siquidem mediantibus symbolis externis visibilibus, veluti aqua in Baptismo, pane ac vino in caena Domini, ea quae sensibus obvia non sunt, ut virtus regenerandi & gratia foederalis, item corpus & sanguis Christi, tanquam cibus potusq; vivificus, non solum signantur, sed & reipsa exhibentur, vi verborum institutionis tum mandati, tum promissi. *Nota.* Corpus & Sanguis Domini in usu sacrae Eucharistiae substantialiter praesentia, non quidem corporaliter & sensibiliter, ore tamen corporis ( unâ cum pane & vino ) sacramentaliter, & fide salutariter percipiuntur: ( sed ita ut tota fidei efficacia pendeat à merito & virtute corporis & sanguinis filii Dei, tam in usurpatione sacramenti Caenae, quam extra eandem ) Priori respectu ( puta sacramentali ) licet modus sit spiritualis vel incorporeus, medium tamen vel organum, Os corporis est. Posteriori, nec modus nec medium corporeum. Utrobyq; mysterium incomprehensibile prorsus & ineffabile est.

XXX. Medium itaq; quo in hac vita invisibilis Deus, & quae in eo sunt bona spiritualia, verbo & sacramentis oblata, recipiuntur & apprehenduntur, commune, spirituale & salutiferum, FIDES est. *Nota.* Ipse Christus  $\text{Ἰησοῦς Χριστός}$  cognosci vult ut causa salutis, non externâ visione carnis suae corporeâ, ( Hac enim nec à fidelibus V. T. utpote nondum tunc incarnatus, nec ordinariè à sanctis N. T. ex quo ingressus est gloriam invisibilem, neq; etiam in diebus carnis suae ab omnibus, sed iis solum conspectus est, qui praesentes ipsi adfuerunt ) sed quatenus verbo Prophetico & Apostolico vestitus, fide suscipitur, juxta illud: Beati qui non viderunt & crediderunt, *Joh. XX, 29.*

XXXI. Fides describitur *Ebr. XI, v. 1.* quod sit  $\text{ὑποπόριον}$  ( substantia ) eorum, quae sperantur, &  $\text{ἔλεγχος}$  ( argumentum firmum ) eorum, quae non cernuntur. Versatur igitur circa invisibilia & speranda. Per *invisibilia*, seu ea, quae non conspiciuntur, intelligit Apostolus in genere mysteria



mysteria verbo Dei patefacta, cum omnibus bonis spiritualibus, quæ regen-  
 titis etiam in hoc seculo obtingunt, ut sunt gratia Dei, remissio pec-  
 catorum, iustitia, pax, gaudium, ipse Sp. S. vivificator, ipse Christus me-  
 diator, Deus ipse, pater propitius. In specie, Vita æterna, cum Christo  
 in Deo abscondita; *Col. III, 3.* complectens ea, quæ oculus non vidit, nec  
 auris audivit, nec quæ in mentem hominis venerunt, *Jes. 64, 4. I. Cor. II, 9.*  
*Nota.* Hæc inchoative & per spem hic quoq; à fidelibus obtinentur, con-  
 summatio tamen & apocalypsis eorum, (quæ finaliter in omnibus pro-  
 missionibus Evangelicis spectanda) futuræ vitæ sunt. Et hoc respectu  
 occupatur Fides circa ἐλπίζοντα, seu ea quæ sperantur, opposita illis  
 quæ cernuntur, *Rom. VIII, 24. 25.* *Elenchus* dicitur fides, hoc est, apodi-  
 xis, argumentis constans infallibilibus, quibus convicta mens certo sta-  
 tuat, se & habere & habiturum ea, quæ oculi non vident. Dicitur simi-  
 liter *Hypostasis*, hoc est, persuasissimus conceptus immobili fundamen-  
 to, verbo videlicet veritatis, seu Ejus promissionibus, qui mentiri ne-  
 quit, firmiter insistentis; quo ea, quæ sperantur, fixa hærent & quasi sub-  
 sistunt in corde credentis. *Nota:* Concurrunt hic Spes & Fides; licet  
 fidei objectum latius se extendat quàm spei. Hæc enim futurorum bo-  
 norum est, Illa etiam præsentium; Utraq; tamen invisibilem. Interim  
*Spei* formaliter est appetere bonum invisibile futurum, cum fiducia ob-  
 tinendi illud. *Fidei* verò apprehendere Christum, & in Christo Deum  
 præsentem gratiosum, in quo reposita est futura beatitudo æterna.

XXXII. Fidei insunt tria; γνώσις, πίστις, πεποιθήσις. Γνώσις  
 cognoscimus invisibilem Deum ex verbo ejus. Πίστις assentimur  
 verbo & sic cognitum agnoscimus. Πεποιθήσις deniq; agnitum ample-  
 ctimur, ut filii Patrem. *Nota.* I. Cognitio, Ebraeis פִּינִי, late aliquando ac-  
 cepta, assensum simul & fiduciam includit, ut *Jes. LIII, 12. II. Pet. III, 18.*  
 2. γνώσις & Πίστις non modo ipsum Deum, sed dona quoq; & ope-  
 ra Dei omniaq; mysteria pro objecto habent. Ποπιθήσις vero non nisi  
 in Deum ipsum, authorem bonorum locanda, de quo *Eph. III, 12. II. Cor.*  
*III, 4.* 3. in fiducia seu apprehensione fiduciali totum fidei salvificæ offi-  
 cium & virtus terminatur ac perficitur.

XXXIII. MODUS videndi vel cognoscendi Deum ex verbo per fi-  
 dem 1. non est corporalis & sensitivus, sed spiritualis. *I. Pet. I, 8.* ubi san-  
 cti dicuntur diligere Christum, quem non vident, & credere in eum,  
 quem



quem non cernunt. DICES. Cum *ἡ ἀγάπη* conjungi *ἀποδοθη*, *Phil.*  
*I, 9.* Ubi orat Apostolus, ut charitas Philippenſium adhuc magis ac ma-  
gis exundet in omni agnitione & omni ſenſu. Sic *Ebr. V, 14.* tribuuntur  
ſanctis perfectis (adultis) ſenſus exercitati, ad diſcretionem boni & ma-  
li. Reſp. In lociſhis nihil aliud ſunt ſenſus, quam multiplex experien-  
tia mentis illuminatæ, utpote percipientis in ſe varios eoſq; penetran-  
tiſſimos Spiritus S. motus, atq; hinc guſtantis bonum Dei verbum &  
virtutes futuri ſeculi, item advertentis ſubinde liberationes divinas ex  
plurimis tribulationibus, guſtantis deniq; & videntis, quod benignus ſit  
Dominus, *Rom. VIII, 13, 14, 15, Ebr. VI, 4, 5. II, Cor. I, 8, 9, 10, Pſal. XXXIV, 9.*  
Ut taceam, quod *ᾤ* ſentire ad intellectum quoq; transferatur, & idem  
ſit quod perſpectum habere, pro certo atq; comperto tenere, vi demon-  
ſtrationum infallibilium; quomodo diſcipuli dicuntur nondum ſen-  
ſiſſe doctrinam de traditione Chriſti in mortem, *Luc. IX, 45. conf. C. XVIII,*  
*34. Nota.* Non ita quidem hic reſtringuntur operationes Spiritus San-  
cti ad mentem, quaſi non exſerant ſeſe per ſenſus etiam externos, (Quin-  
imò motuum divinorum in corde ex amore Dei æſtuante, proprium  
eſt prorumperè ad membra geſtusq; corporis. Sic Aures regeneritorum  
ad percipiendum cum delectatione verbum Domini, Linguas ad con-  
fitendum nomini divino, Manus ad benè agendum promptas habilesq;  
Spiritus S. reddit) Sed modus negatur corporeus, & omnia ſimul ad in-  
ternum principium, illuminationem videlicet ac regenerationem ani-  
mæ veluti fontem eumq; inviſibilem reducuntur. 2. Non ſpeculativus  
tantum, ſed & practicus finaliter eſt. Terminus enim fidei fiducia eſt, &  
hæc in praxi conſiſtit. Prætereà proprietas à verâ fide inſeparabilis chari-  
tas eſt, quæ principaliter in Deum & conſequenter propter Deum in  
proximum fertur. Charitas autem non nudâ contemplatione ſed affectu  
verè practico abſolvitur. DICES. Fidei & Charitatis formam non in-  
actione, ſed relatione conſiſtere; eò quod amans ſe perpetuò refert ad  
amatum vel amandum, credens ad credendum, confidens ad eum qui  
fiduciali apprehenſione dignus eſt. Reſp. Praxin hoc loco considera-  
mus, non quaremus relationi ſed nudæ ſpeculationi opponitur. *Nota.*  
Etiſi Fides practicum quid eſt, effectus tamen fidei proprii & adæquati,  
ut regenerare, juſtificare, ſalvare, tribuuntur eidem, non quatenus agit  
vel operatur aliquid, ſed quatenus Chriſtum ut genuinum objectum  
reſpicit, vel quatenus ipſe Chriſtus cum omni merito ſuo, per fidem,  
tanquam



tanquam causam organicam, animæ applicatur. Hinc æquipollentia sunt: Fide in Christum justificari; & propter Christum apprehensam fide (sine hæc enim non prodest Christus) justificari ac salvari hominem.

XXXIV. **OBJECTUM** fidei, ipsiusq; adeo visionis seu Theologiæ Revelatæ, specularis, in suâ latitudine spectatum, est **DEUS**, & quæcumq; vel in Deo sunt, vel ab eodem proveniunt, quatenus ea ex sacris literis, lumine gratiæ, per Spiritum Dei cognoscibilia sunt. Quorum hypotyposin, juxta seriem capitum & articulorum Symboli Apostolici, brevibus hic delineabimus.

XXXV. **DEUS** consideratur vel absolute in se, secundum naturam suam, vel respectivè in Christo, secundum æconomiam. Hinc & actiones Dei aliæ Absolutæ sunt, aliæ Respectivæ: Illæ excludunt respectum Christi mediatoris, ut Creatio mundi. Hæ circa hominem in peccata prolapsam, per Christum reparandum, versantur. Sic quoq; Voluntas Dei vel Absoluta est, vel Respectiva. Illa vult creaturam esse bonam, sanctam, justam, peccati expertem. Hæc hominem prævaricatorem vult uti mediis, ad salutem in Christo propositam ordinatis.

XXXVI. In consideratione Dei *absolutâ*, credenda veniunt. I. **Attributa** divinitati propria, eandemq; demonstrantia. II. **Tres personæ** in unitate essentiæ, vel essentia una constans personis tribus. III. **Actiones** vel opera divina.

XXXVII. *Attributorum* Dei quædam ad operationem extrinsecus procedunt, ut omnipotentia, bonitas, veritas &c. quædam non procedunt, ut summa spiritualitas, æternitas, immensitas. Utraq; (id est, non solum hæc sed & illa) invisibilia sunt. *Nota.* Nihil repugnat, quo minus ea etiam, quæ suo modo ex lumine naturæ cognoscuntur, veluti sempiterna Dei potentia & ipsa divinitas, *Rom. 1.20.* (de quibus actum supra) alio respectu ad fidem directè pertineant, quatenus nimirum Deum, quem esse v. g. omnipotentem & justum, ex ratione scio, justum porro & omnipotentem credo, quia dixit se esse talem, idque per singulares actus justitiæ ac omnipotentia, ceu exempla naturæ incognita, Prophetarum & Apostolorum scriptis annotata demonstravit; nec credo saltem quâ assensum, sed omnipotentem quoq; ac justum &c. filialiter apprehendo, omnibusq; injuriis & necessitatibus confidenter oppono *conf. th. 17, 18.* Sic Deum esse misericordem, licet ratio indefinite quodammodo agnoscat, quomodo tamen ipse, salvâ suâ justitiâ peccatis læsâ



mifereatur hominis peccatoris, quodq; tibi etiam peccata condonare  
voluit, hoc ipsum novisse, solius fidei est, verbo revelato & contentis in eo  
promissionibus divinis universalibus unice innitentis.

XXXVIII. TRES, easq; distinctas personas, Patrem, Filium & Spiritum  
S. esse unum illum summum Deum, uti mysterium est, rationem natura-  
lem penitus transcendens, ita ex solâ Scripturâ S. tam V. quam N. T.  
clarius tamen ex N. quàm V. Testamento credentibus innotescit.

XXXIX. ACTIONES divinæ aliæ Personales sunt, ut quod Pater ge-  
nerat Filium, quodq; à Patre & Filio procedit Spiritus S. utriq; *ὁμοούσιος*;  
aliæ toti SS. Trinitati, ratione principij & operationis (quanquam non  
omnes ratione termini: sic enim incarnatio non in Patris vel Spiritus S.  
sed solius Filij personâ terminatur) communes & indivisæ: Illæ extrâ  
Deum non progrediuntur; Hæ contrâ tendunt in objectum extrinse-  
cum; suntq; vel internæ, ut *ἡ ἐκείνη*, seu decreta Dei de creaturis; vel  
externæ, ut creatio, conservatio, gubernatio &c. De his quæritur, *An  
referendæ sint inter invisibilia, lumine fidei cognoscibilia?* Resp; Distin-  
guendum inter ipsam actionem vel modum agendi, & inter opera a-  
ctione Dei producta. Horum alia invisibilia sunt, ut Spiritus, Angeli:  
alia visibilia, ut omnes substantiæ corporeæ. Interim ipsa actio vel mo-  
dus agendi divinus sensibus expositus non est, sed quatenus est in verbo  
revelatus, fide intelligitur. *Ebr. XI, 3, conf. th. 18.*

XL. In CHRISTO (ubi Deus *respectivè* consideratur) credimus & con-  
fitemur tum personam unam, duabus naturis divinâ & humanâ hypo-  
staticè invicem unitis, constantem; tum officium actionesq; divinas sa-  
lutiferas. Utrobq; mysteria sunt rationi (ne dicam sensibus) planè in-  
cognita, ipsisq; Angelis ad introspicendum desiderabilia, *I. Pet. I, 12.*  
à nobis fide reverenter amplectenda.

XLI. Opera vel ACTIONES divinæ in Christo respiciunt salutem  
generis humani, ejusq; tum acquisitionem, tum applicationem. Illa  
nomen Redemptionis; Hæ Sanctificationis sortitur. *Media* ad utramq;  
sufficiunt, vel principia utriusq; meritoria, sunt Nativitas Christi, ejus  
Passio, Crucifixio, Mors, Sepultura, Descensus ad inferos, Resuscitatio  
ex mortuis, Ascensio in cœlos, Sessio à dextris Dei, & Reditus ad iudicium;  
ita quidem ut Resurrectio ex mortuis, juxta cum ascensione in cœlos &  
sessione ad dextram Dei, præter meritum vel acquisitionem, ipsum sa-  
lutiferæ applicationis actum, per effusionem Spiritus S. & prædicatio-  
nem.



nem Evangelij, proxime inferat, & futurus ad Judicium reditus gloriosus communionem & fruitionem regni Dei plenissime pandat.

XLII. DICES. Christi Nativitatem, Passionem, Mortem &c. visibile quid fuisse. Ref. Præterquam quod hæc, postquam semel fuere conspæta, amplius non conspiciuntur, & sic hodie non nisi ut credenda proponuntur; discernendum hic omnino est externum ab interno: Viderunt enim oculi quorundam corporei, vel videre potuerunt hominem, eumq; miserum, sed hunc simul verum esse Deum, adeoq; Dominum, gloriæ crucifixum esse, I. Cor. II, 8. Deum proprio sanguine redemisse Ecclesiam &c. sola fides videt. Viderunt oculi natum, mortuum, redivivum; sed natum eum esse salvatorem, mortuum propter peccata nostra, resuscitatum propter justificationem nostri &c. non nisi fides videt, Breviter. Viderunt oculi externas sive actiones, sive passiones, sed has esse meritorias, esse virtutis divinæ, & valoris infiniti, ad satisfactionem, redemptionem, reconciliationem hominum cum Deo, non oculus, non ratio ulla perspicere aut assequi potest. Totum E. hoc solâ fide conceptâ ex scriptis Prophetarum & Apostolorum, accipiendum est.

XLIII. Cæterum Actiones illas Dei, quæ versantur in *Applicatione* partæ per Christum salutis, & quæ Sanctificationis nomine generatim veniunt, quæq; *Spiritus S.* ut Spiritui Christi peculiariter competunt, quales sunt Regeneratio, Justificatio, Renovatio &c. quarum principium, fons & origo est Electio vel prædestinatio æterna, verè esse mysteria non solum à sensibus remota sed & rationi imperscrutabilia, probatione non eget. Describuntur hinc inde in Sacris non nisi ut actiones merè spirituales, quæ à Deo intrinsecus in homine perficiuntur. Pro exemplo fit Historia Nicodemi, *Joh. III.*

XLIV. Opus, quod his ipsis actionibus Dei virtus producit, est ECCLÉSIA, seu congregatio sanctorum catholica. Et hanc esse profiteremur objectum fidei Apostolicæ. *Visibilis* quidem ea est respectu externæ professionis Doctrinæ Christianæ, vel societatis quoad exteriorem communionem Verbi & Sacramentorum, sed respectu communionis cum Deo & omnibus sanctis, in uno Spiritu, sub uno eoq; invisibili capite Christo, quæ interna Ecclesiæ forma est, *Invisibilis* verè dicitur. Vides quidem hominem hunc illumve, extrinsecus audientem, verbum Dei, utentem sacramentis, orantem, Eleemosynas conferentem &c. sed hoc ipso regnitum, justificatum, novam in Christo creaturam, filium Dei, quatenus talem, non vides. Refer huc illud Salva-



toris: *Regnum Dei intus in vobis est, Luc. XVII, 21*, & istud ejusdem: *Regnum meum non est de hoc mundo, Job. XVIII, 36*. Adde, quod bona vel dona illa, quæ solum Deum authorem habent, sanctificantia, eaq; toti Ecclesiæ & omnibus sanctis communia, ut fides, spes, charitas, sensus pariter & rationem fugiant. DICES. Charitatem mutuam, quæ est nota discipulorum Christi *Job. XIII, 35*, in oculos incurrere. R. Opera charitatis fidelium externa, vim habent invitandi, ipsos etiam infideles, ad amplectendum fidem Christi, agnoscendum discipulos ejus & Deum in cælis glorificandum, confer, *Matth. V, 16*. Et hic sensus est loci objecti. Interim, num sit præcisè hujus vel illius charitas sincera, & in fide vel charitate Christi fundata, an verò fucata, nemo videt, nemo etiam infallibiliter novit, nisi Deus solus *καὶ ὁ θεὸς οὐρανοῦ καὶ γῆς*, & ex parte (ratione certorum indiciorum) illi, qui mentem Christi tenent.

XLV. FINIS fidei ipsiusq; visionis gratiosæ, à parte Dei est gloria nominis ejus: Quo pertinent doxologiæ in literis Prophetis & Apostolicis passim occurrentes, ut *Jes. XII, Eph. III, 20, 21, &c.* à parte Credentium Remissio peccatorum, Resurrectio ex mortuis & Vita æterna. *Act. X, 43, Job. VI, 54. C. XX, 31*. Illa beatitudinem animæ in terris, ista corporis à die novissimo, Hæc utriusq; consummatam perfectionem in cælo concernit: Suntq; ea non minus invisibilia, & solius fidei in hoc seculo objecta, quam cætera mysteria omnia. *Nota.* Remissio peccatorum, resurrectio ad gloriam & ipsa vita æterna tribuuntur fidei, non quatenus est cognitio historica, sed quatenus gratiam Dei in Christo organicè apprehendit: Quod totius Doctrinæ Christianæ vel fidei catholicæ scopus, summa & compendium est.

XLVI Actum huc usq; de Theologiâ hujus vitæ, quæ dicitur visio per speculum in ænigmate, *I. Cor. XIII, 12*. Speculum hic peculiariter est Verbum Dei. Per ænigma significantur mysteria verbi Dei, non solum rationi incognita, sed occultum quoq; & in cælo repositum thesaurum, eumq; in Scripturâ cum V. tum N. T. variis speciebus seu imaginibus (de quibus *Thef. XXVII.*) vestitum, itemq; spe & fide tanquam involuctis receptum, continentia. *Nota.* Speculum & ænigma opponantur h. l. non cuius claritati vel perspicuitati (Lucerna enim est verbum Dei, lucens in loco caliginoso) sed claritati intuitivæ, quæ futura est à facie ad faciem, abolitâ cognitione per speculum, abolitâ fide & spe.

XLVII. Sequitur visio *futura vitæ* INTUITIVA, quæ *καὶ ἐξ ὄψεως* & visio absoluta; & visio beatifica appellatur. De hæc Quæritur *I. An. 6*

beat



*beati intuitivè & immediate, sine specie vel imagine sunt visuri essentiam Dei vel Deum secundum essentiam?* Affirm. ex 1. Joh. III, 2. 1. Cor. XIII, 12. In utroq; urgenda est *partim* Phraseologia. In Illo quidem: *Videre Deum sicuti EST*. In hoc: *videre eum à facie ad faciem*: Quorum utrumq; quid aliud quæso est, quàm videre Deum secundum essentiam? Verba enim accipienda sunt, juxta communem sensum, prout stant vel jacent, & quemadmodum super illis naturaliter fertur intellectus humanus: Quod si ergo quis, postquam imaginem alterius, stantis à tergo, in speculo vidit, relicto speculo ad eundem conversus dicat: Nunc video te sicuti Es; vel, video te à facie ad faciem: hoc ipso statim id dici percipimus: video non amplius imaginem tuam, sed te ipsum, vel tuam ipsius personam aut substantiam: *partim* Oppositio, quatenus Johannes statum fidei, quàm credimus nos esse filios Dei, & sic Patrem nostrum esse Deum, Patrem illum in cœlis, quem non videmus, conf. 1. Pet. I, 8. expressè dividit à statu visionis *ἡμεῖς ἑώρακέν* ita dictæ, quàm eundem Deum hactenus non visum coram intuebimur. Similiter Paulus specie diversas statuit, visionem, quæ nunc fit per speculum in ænigmate, adeoq; mediatè, per species sive imagines, & Eam, quæ tunc erit à facie ad faciem, ut immediatam, præfertim, quod illà abolitâ hanc in illius locum surrogatum iri docet. Jam si cognitio hujus & cognitio futuræ vitæ gradibus duntaxat differant, non illa certè abolenda, sed per hanc perficienda foret: *Partim* Exegesis in nexu & contextu Apostolico. Johannes enim visionem illam, quàm videbimus Deum sicuti EST, ponit ut causam perfectæ similitudinis cum Deo, seu consummatæ imaginis divinæ in alterâ vitâ, ubi Deus ipse omnia erit in omnibus. Sic Paulus visionem à facie ad faciem explicat per eam, quàm nos à Deo sumus cogniti. Jam Deus utiq; nos secundum essentiam intuetur. DICES. 1. Visionem à facie ad faciem tribui quoq; Mosi in hac vitâ, qui tamen Deum immediate non vidit. Ad hoc responsum est supra Th. XIII. Quam responsionem evincit tum oppositio tum descriptio, eaq; in contextu Mosaico & Apostolico diversa. 2. Cognitionem hujus vitæ opponi à Paulo cognitioni futuræ vitæ, tanquam cognitionem puerilem virili; quæ specie tamen non differant. Resp. Comparatio instituitur secundum quid, nempe quoad sermones, sapientiam, ratiocinationes pueriles, ut pueriles, quæ sanè in viro non perficiuntur sed abolentur. 3. Deum habitare lucem inaccessam, 1. Tim. VI, 16. Neminem novisse quæ in Deo sunt, nisi Spiritum Dei, 1. Cor. II, 11. & huc ipsos quoq; Angelos excipi, ceu qui desiderant introspicere mysteria,



quale est Incarnatio filii Dei &c. *1. Pet. 1, 12.* Resp. Loquuntur hæc dicta & horum similia de visione, vel cognitione Comprehensivâ tum ipsius Dei, tum mysteriorum divinorum, quam & nos merito beatis omnibus, sive hominibus, sive Angelis denegamus, & soli Deo cum admiratione & veneratione humiliter relinquimus, contenti cognitione Apprehensivâ, eâq; in cælo futurâ Intuitivâ; Exemplo Angelorum facies suas in conspectu Dei regentium, *Jes. VI, 2.* Itâ Paulus agnoscit infinitam profunditatem sapientiæ & cognitionis Dei, *Rom. XI, 33. seqq.* Et Johannes visuros nos esse dicit Deum, non quantus quantus ille est, sed *sicuti est.*

**XLVIII. II.** Quæritur, *num beati solâ mente an verò oculis quoq; corporeis Deum sint visuri?* Nos utrumq; credimus, & repetimus dicta antecedentia, *1. Cor. XIII, 12. 1. Job. III, 2.* quæ generaliter & indefinitè loquuntur de visione totius hominis. Quibus addimus illud, quod in futuro seculo Deus omnia erit in omnibus *1. Cor. XV, 18.* & sic quoq; oculorum objectum. In specie adducimus, pro visione oculorum gloriosâ, solatium tentati graviter & cum desperatione luctantis, tantumq; non succumbentis Jobi, cujus oculi jam præ dolore mentis contabescabant, *Job. XIX, 26.* Oculi, inquit, *mei videbunt Deum.* DICES. Non esse proportionem inter oculos corporis & inter essentiam Dei, eamq; 1. Spiritualem, 2. Infinitam. Resp. 1. Erimus in futuro seculo *ἰστέγγελοι;* & ut corpora sic & oculi corporum glorificatorum spirituales, *Luc. XX, 36. 1. Cor. XV, 44.* 2. Non dicimus comprehensuros oculos nostros Deum. Sufficit, quod apprehendent.

**XLIX. III.** Quæritur, *Quæ & qualis futura sit visio illa Dei à facie ad faciem?* Resp. Non erit exterior & otiosa speculatio, sed beatifica, eaq; intima animæ & corporis perfectio, inferens consummatam (quoad cadere in creaturam potest, secundum gratiæ cœlestis œconomiam) essentia, voluntatis & mysteriorum divinorum, ut & in ipso Deo, Sanctorum omniû, nunquam nobis in hâc vita visorum, cognitionem; ipsiusq; summi boni realem communionem & fruitionem, cum gaudio & exultatione ineffabili. *1. Cor. XIII, 9, 10. C. XV, 18. Ps. XXXVI, 9, 10. 1. Pet. I, 8.* Ratio est, quia Deus ipse erit lux beatorum, *Jes. 60, 19.* Sed hæc quia nec oculis vidimus, nec auribus audivimus, nec mentè capimus, ideo nunc credimus & cum patientiâ expectamus.

### DE VISIONE ANGELORUM.

L. ANGELOS esse invisibiles tum ratio dicat, quia Spiritus sunt, tum Scriptura testatur, *Col. 1, 16.* Ubi *τὰ ἀόρατα* dividuntur in Thronos, Domi-



Dominaciones, Principatus, Potestates. Quæ Hierarchia cœlestis & Ordo Angelorum est.

LI. Visio essentiæ & proprietatum Angelicarum *specularis* eaq; *mentalis*, ex lumine naturæ, si quæ est, exigua est, & bonam partem conjecturalis: Ex Scripturâ autem (quoad conditionem viatorum) sufficiens & certa.

LII. Visionem tot myriadum Angelorum (quas commendant S. literæ, *Dan. VII, 10. Ebr. XII, 22.*) diversis gloriæ gradibus coruscantium (quod & de corporibus glorificatis credendum est, *ex I. Cor. XV, 41.*) *Intuitivam*, sive ratione mentis sive oculorum corporis. (Quæ & ipsa non postrema beatitudinis nostræ pars erit) unâ cum visione Dei beatificâ, futuræ vitæ transcribimus. DICES. Conspectos non semel Angelos in hac vitâ fuisse, teste Scripturâ V. & N. T. Resp. Conspecti sunt oculis animalibus non immediate sed in corporibus, eisq; non propriis, sed in hominum gratiam ad tempus assumptis.

### DE VISIONE HOMINIS,

LIII. HOMO, quâ corpus (quatenus hoc animale) visibilis, quâ animam, invisibilis est, tametsi motus seu effectus animæ per membra corporis se produnt.

LIV. Hominis visio *specularis* eaq; *mentalis*, præsertim cognitio perfectionis *Animæ*, quoad beatitudinem suâ, vel, quod idem est, cognitio imaginis divinæ, ante lapsum integræ, peccato amissæ, à Deo per Christum restaurandæ, tum inchoativè in hoc, tum consummativè in futuro seculo; ad speculum & ænigma, verbum Dei & conceptam ex eo fidem pertinet. De quibus consulantur, quæ supra in articulo de visione Dei dicta sunt. De *Intuitivâ* vero animarum visione idem tenendum, quod de Angelorum.

LV. Quod superest, Quæritur de CORPORIBUS Glorificatis, *an hæc visibilia sint oculis corporis animalis?* Neg. idq; ob spiritualitatem, tanquam principium in visibilitatis: Pro exemplo simul & argumento sunt, non solum Corpus Christi ex mortuis redivivum, (teste Historiâ Evangelicâ & Apostolicâ) sed & eorum corpora, qui cum Christo resurrexerunt, *Matth. XXVII, 53.* Quæ non omnibus sed multis, non ex necessitate sed dispensatione, apparuerunt, ac vicissim disparuerunt.

LVI. FINIS cognitionis vel visionis, pro objecto habentis excellentiam sive Angelicam sive Humanam, est, tum augmentum gaudii sanctorum, tum æterna Dei glorificatio, qui solus & creator & causa gloriæ, imo



imò ipsa beatitudo, adeoq; principium & finis ultimus Angelorum pariter & hominum est.

Et hæc sunt Lineamenta quædam *visionis invisibilium*, quæ totius Theologiæ summa est. Nos dissertationem hanc cum voto finimus. *Da invisibilis Deus*, Sancte Pater, per & propter Dominum nostrum Jesum Christum, in Spiritu S. ut semper spectemus non ea, quæ cernuntur, sed quæ non cernuntur: Nam quæ cernuntur temporaria sunt, at quæ non cernuntur, æterna. Tibi, qui solus habes immortalitatem, lucem habitans inaccessam, quem vidit nemo hominum, nec videre potest, sit honor & robur æternum, Amen!

---

Præstantis, Dno. RESPONDENTI,  
Affini dilecto.

**N**otus ut es nobis, nomen laudemq; probatæ  
Sedulitatis habes, & probitatis habes.  
Nec te Leucoreis frustra studuisse Camænis  
Varniacisq;, probant, quæ pia bella subis.  
Hæc quod propugnas, scopus est finisq; laborum;  
Ut, quæ nemo videt, quisq; videre queat.

*Cum gratulat. & voto*

PRÆSES.

---

**R**es invisibiles, defendis, posse videri,  
Ingenijq; tui præbes sic conspiciendas,  
Quas oculi carnis non possunt cernere, Vires.  
Omne nec vano Tibi Dissertatio præfens  
Suaves præfagit fructus, cumulumq; bonorum,  
Quæ licet haud videas, certo tamen ista videbis!

*Conradus Schuckman / Jur. D.*

---

HEINRICUS A LENGERKEN OSNABRUGENSIS,

*Anagr.*

NON CURA LENI GERIS URBIS SIGNA, NE CE ejus  
parte, qui vitæ est dux, hominumq; salus.


**U**nica cunctarum rerum hæc sit regula, præter  
quam labor infelix & malus omnis erit.

M. Johan. Christoph. Ottonis











Dominaciones, Principatus, Potestates. Quæ Hic  
do Angelorum est.

LI. Visio essentiæ & proprietatum Angelicarum  
ex lumine naturæ, si quæ est, exigua est, & bonam  
Ex Scripturâ autem (quoad conditionem viatorum)

LII. Visionem tot myriadum Angelorum (quod  
teræ, *Dan. VII, 10. Ebr. XII, 22.*) diversis gloriæ  
(quod & de corporibus glorificatis credendum  
*Intuitivam*, sive ratione mentis sive oculorum corporum  
postrema beatitudinis nostræ pars erit) unâ cum  
futuræ vitæ transcribimus. DICES. Conspexi  
in hac vitâ fuisse, teste Scripturâ V. & N. T. Responsum  
animalibus non immediatè sed in corporibus, ei  
hominum gratiam ad tempus assumptis.


### DE VISIONE HOMINUM

LIII. HOMO, quâ corpus (quatenus hoc a  
animam, invisibilis est, tametsi motus seu effectus  
corporis se producit.

LIV. Hominis visio *specularis* eaq; *mentalis*  
perfectionis *Animæ*, quoad beatitudinem suâ, vel  
tio imaginis divinæ, ante lapsum integræ, peccati  
Christum restaurandæ, tum inchoative in hoc, tum  
futuro seculo; ad speculum & ænigma, verbum  
eo fidem pertinet. De quibus consulantur, qua  
sione Dei dicta sunt. De *Intuitivâ* vero animarum  
dum, quod de Angelorum.

LV. Quod superest, Queritur de CORPORIBUS  
*visibilia sint oculis corporis animalis?* Neg. idq; ob sp  
principium in visibilitatis: Pro exemplo simul &  
solum Corpus Christi ex mortuis redivivum, (tel  
& Apostolicâ) sed & eorum corpora, qui cum C  
Matth. XXVII, 53. Quæ non omnibus sed multis,  
dispensatione, apparuerunt, ac vicissim disparuerunt.

LVI. FINIS cognitionis vel visionis, pro obje  
tiam sive Angelicam sive Humanam, est, tum augm  
tum, tum aeterna Dei glorificatio, qui solus & c



& Or-  
mentalibus,  
aturalis:  
& certa.  
ant S. li-  
tantium  
, 41.) In-  
psa non  
eatificâ,  
Angelos  
t oculis  
s, sed in  
lis, quâ  
nembra  
ognitio  
cogni-  
Deo per  
tively in-  
oram ex  
lo de vi-  
atenen-  
s, an hac  
inquam  
t, non  
angelicâ  
erunt,  
tate sed  
ccellen-  
sancto-  
gloriæ,  
imò